



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LXXXV. De Pensione resignanti Parochiam reservata, & per  
pecuniam simul & semel soluram redempta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

## TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

### DECISIO LXXXV.

De Pensione, quam sibi cum consensu Episcopi reservavit in annos singulos vitæ Parochus, alteri Parochiam suam resignans, & simul omnes pensiones redemit pro certo pretio statim sibi persoluto.

### SPECIES FACTI.

Petrucius mediæ ætatis, seu 44. circiter annorum vir, postquam in celebri loco per aliquot annos Parochiam egit, pro sua inconstantia Parochiam suam in paucis opulentam Cleandro resignavit, quocum tamen prius tractavit de pensione 100. Ducatorum sibi quotannis solvenda. Ut eam cito consequeretur notabilem summam pecuniariam, quam in centis annos statim elocare unâ cum aliis pecuniis, quas sibi ex redditibus Parochialibus per annos complures compulerat, ac inde competenter Statui suo vivere posset, petiit à Cleandro, ut pro futuris pensionibus simul & semel numeraret 800. ducatos, quam quoque conditionem, quia ob vegetas adhuc

vires & robustam valetudinem diutius victurum Petrucium haud ex vano ominabatur, acceptavit Cleander, ea tamen lege, ut ratificatio Episcopalis peteretur. Quapropter ambo acceperunt Episcopum, eique exposuerunt intentionem & tractatum suum, qui post liberam resignationem Petrucii, & præviam Cleandri præsentationem, hunc instituit in Beneficio Parochiali, imposita ei simul pensione annua 100. ducatorum, solvendâ Petrucio resignanti pro competenti sustentatione, imò & permiffa redemptione pensionum omnium successivè solvendarum pro 800. ducatis simul & semel numerandis.

Q 9 9 2

QUÆSTIO

## Q U Æ S T I O I.

An Episcopus licitè ac validè imposuerit dictam pensionem, resignanti Petrucio solvendam.

PLurimi tum Theologi tum Canonistæ abeunt in Negativam, & soli Pontifici potestatem imponendi pensiones Beneficiis in eorum collatione tribuunt, uti Sotus, Toletus, Lessius de Just. & Jure l. 2. c. 34. n. 206. & alii, quos allegat Garc. de Benef. p. 1. c. 5. n. 306. Item Rebuff. Zechus, Parisius, Ugolin. & Zerola p. 1. V. Simonia. dub. 3. Neque destituntur gravibus, saltem in speciem, fundamentis, quorum

Primum est, & petitur ex Rubr. hujus Tituli, ubi instar regulæ pronuntiatur: *Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.* Concordat textus subjunctus & c. majoribus. c. vacante. & c. cum causam. de Præbendis. Sed Episcopus, imponens pensionem ex Beneficio solvendam alteri, illud confert cum diminutione fructuum; nam pensio definitur esse *ius percipiendi fructus ex alieno Beneficio.*

Secundum ex Constit. Intolerabilis 85. S. Pii V. ubi se opponit, & pro Simonia habet confidentiali, si Ordinarius, vel alius Collator, conferat Beneficium Ecclesiasticum, quovis modo vacans, ea conditione tacita vel expressa, ut - - - de eo provisos fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat: seu pensionem

illi - - - persolvat. Ergo imponere pensionem est species Simonie confidentialis (hanc enim, & ejus speciem, ibi declarat & persequitur S. Pontifex, ergo penes Episcopos non est imponere pensionem. Confirmatur ex declaratione S. Congregationis Concilii quam refert Garcias p. 1. c. 5. cit. n. 306.

Tertium sic formatur: vel Episcopus vult imponere pensionem Beneficio vacante, vel non vacante? non potest Beneficio non vacante, quod id esset injustum, cum actualiter possidens Beneficium habeat jus quantum ad omnes fructus sui Beneficii consequenter sine ejus injuria alii fructus ipsi auferri, & alteri pro pensione consignari nequeunt. Ne potest Beneficio vacante, cum Beneficium Rectore, qui defendat, delictum onerare non sit licitum, test. DD. nempe Innoc. Host. Jo. Butr. Card. Zabarella, Imola, & Lagnanus in c. nisi essent de Præbendis. Fagn. ibidem n. 23. sic ait: *Et licet sit, ut super fructibus Beneficii vacantis minimè possit Episcopus pensionem alteri reservare, quia non est illi Beneficium qui possit consentire.* Ulterius: vel Episcopus imponit pensionem Beneficio vacanti in actu collationis, contingens à proviso promissionem acceptum eam solvendi, vel alio modo

Non potest modo priori, quia talis collatio cum hoc pacto & promissione esset Simoniaca, consequenter illicita, ut tenent omnes DD. & probat Fagn. n. 18. ex cit. c. nisi essent. Nec alio potest modo, scilicet pacto & promissione predicta non interveniente, quia sine hac non obligabitur proventus de Beneficio ad pensionem.

Quartum. Innocentius XII. in quadam consil. de 11. Nov. 1692. statuit, ne imponerentur Ecclesie Parochiales pensiones onerentur: ergo Episcopis prohibetur imponere pensiones, maxime Beneficiis Parochialibus.

Quintum. Hac pensio est constituta initio ad dies vite Pensionarii, ita ut, si Cleander ante Petrucium obiisset, successor Cleandri eam continuare debuisset: sed hoc in Jure est prohibitum, nempe in c. 21. de Preb. ibi: non dignitas Prioratus (scilicet ipsum Beneficium) sed persona Prioris maneat onerata: ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus, vel alterius Beneficii. Item in c. 8. de transact. ubi Pontifex non vult obligationem ex transactione de rebus Ecclesie ortam transire ad successorem, ne pacta inter alios acta aliis obstant.

At his minime obstantibus sine scrupulo defendi potest opinio Assertiva, in Episcopi potestate esse pensiones imponere, quam sustinet forte communior tam Theologorum quam Canonistarum & Beneficialistarum, uti S. Thomae 2. 2. q. 100. art. 4. inf. Suarez. 1. 1. de Relig. l. 4. de Simonia. c. 27. n. 37. & c. 51. n. 18. Mastri in Theol.

mor. d. 14. n. 75. Emman. Sa V. Pensio n. 5. Sanchez in Consil. mor. l. 2. c. 3. dub. 42. n. 5. Pacis Jordani to. 2. l. 9. tit. 1. a. n. 489. multos alios cumulantis, Laym. Filliucci &c. item Abbatibus, Innoc. Felin. Redoani, Navar. Anchor. Decii, Paris. Rebuff. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 85. n. 11. Gratiani discept. for. to. 4. c. 617. per totum apud & cum Clericato de Pension. discord. 1. per totam, allegante plures decisiones Rotæ, requirente tamen cum aliis sequentes conditiones. I. Justam causam. II. Ut pensio reservetur Clerico, non Laico. III. Ut non reservetur per modum quotæ, videlicet tertiæ, quartæ, dimidiæ, aut alterius partis fructuum, sed tantum per viam quantitatis pecuniæ, frumenti, vini, aut similibus, v. g. 50. ducatorum, tot scapharum frumenti, tot urnarum vini in singulos annos &c. priori enim modo censeretur Beneficium dividi contra c. majoribus de Preb. & c. de cetero de transact. IV. Ut Rectori, cui imponitur pensio de Ecclesia Parochiali, remaneant saltem 100. ducati. Trid. s. 24. c. 13. de Ref. id quod auctoritatibus firmat Pax Jordanus tit. 1. cit. n. 503. & Fagnan. in c. nisi essent de preb. n. 25. V. Ut persona Pensionarii nominetur & determinetur. VI. Ut pensio statuarur ex sola voluntate Episcopi, non autem ex pacto inter eum, cui reservanda est, & alterum, qui recepturus est Beneficium cum obligatione solvendi pensionem; aliàs enim pensio foret Simoniaca: quod tamen ubi

Q 9 9 3

ubi pensio reservatur Parocho ob senium vel inhabilitatem resignanti pro ejus sustentatione, aut resignanti ad dirimendam litem, vel ad coarctandos fructus ex causa permutationis (si tamen hoc ultimum possit Episcopus, quod negavi ad *tit. de rerum permutat. in meo Candidato*) sic declarata, quod tractatus prævius, discursus, propositio desiderantis recipere, & volentis solvere pensionem, non inducat nullitatem aut vitium Simoniacæ, modò ad pensionem præcisam & obligationem non deveniant, sed totum negotium remittant ad arbitrium & auctoritatem Episcopi. *Ridolphin. in Prax. Judic. p. 2. c. 9. n. 50. Paris. de Resign. l. 6. q. 2. n. 70.* ubi alii DD. *Gibal. de Simonia q. 20. confectar. 15. n. 7. 8.* quia in his casibus impossibile est, ut Partes non priùs agant inter se, & tractent de futura pensionis reservatione vel impositione. Requirit plurimi & gravissimi DD. VII. Ut pensio non transeat ad Successorem in Beneficio, ex quo solvenda est, uti *Navar. Gavant. Redoan. Garcias p. 1. c. 5. à n. 334. Fagn. lo. cit. n. 40. Card. de Luca de Pensionib. disc. 40. n. 5.* Sed alii, pariter plurimi, existimant, posse Episcopum statuere pensionem etiam ad dies vitæ Pensionarii, adeoque transmissibilem ad successorem in Beneficio, quibus & ego accessi in *meo Candidato. b. t. n. 3.* Plures auctores ita sentientes, ac simul textus, in quibus se fundant, adducit laudatus *Fagn. à. n. 32.*

Quæres, quænam sint iusta causæ,

propter quas Episcopo servatis prædictis conditionibus aliis Doctores communiter tribuunt potestatem imponendi pensiones? *1.* Sequentes. I. Paupertas Clerici, ut v. g. postulat velle studii. II. Pax, & litis super Beneficio exortæ remotæ per unius pensionem. III. Alimentatio Parochialis, vel infirmi, liberè resignantis Parochiam. IV. Magna merita Clerici in Ecclesiam. Has causas adducit, tum ex Jure tum ex DD. & rationibus sufficientes esse probat, modò illis certò constet, *Clericus d. dist. 1. à n. 15. & n. 19.* addit etiam, ut ut uni ex permutantibus Beneficia compensentur fructus, quos una de suo Beneficio pinguiore retinet deinceps percipere potuisset ampliores, seu ut coarctentur fructus. *Agat c. ad quæstiones de rer. permut. Navar. Riccium, Barbos. Valencian. Lessium & alios; observat tamè Suarezium, Azorium, Sanchez, Baccinam, Loterium & alios apud Garciam n. 345.* quos & ego secutus sum ad *tit. de rer. permut.* opinari, in hoc casu opus esse auctoritate Pontificis. Unde potiùs se fundat in praxi, in quibus contrarium observari se vidisse, & permutatione Beneficiorum pensionem reservari ab Episcopis pro coarctandis fructibus; licet alia sit praxis & *Stylus Curia Romanæ.*

His præmissis probatur nostra resolutio in ordine ad præsentem casum. I. *Ex c. 30. de præb. in f.* ubi prohibetur, ne quis in fraudem alteri pensionem in Beneficio alieno constituat.

ergo à contrario, si sine fraude, & ex iusta causa id faciat, licet ac validè agi. II. Ex c. 5. de transact. ubi prohibetur, necensus seu pensio, quæ vitam ejus, qui solvit, seu Beneficiari excedat, sub prætextu transactionis imponatur absque Episcopali auctoritate: ergo cum auctoritate Episcopali imposita pensio potest excedere vitam Beneficiari, & ad hujus successores transire, usquedum nempe moriatur Pensionarius. Id quod roboratur III. Ex consuetudine & praxi, de qua testatur Pirhing b. t. n. 10. cum Suarez. & IV. Ex ratione à pari: Episcopus enim potest reditus Beneficii vacantis ad tempus reservare alteri ex iusta & necessaria causa. c. un. §. si. b. t. ergo & onerare Beneficium subtrahone quorundam fructuum ex iusta causa in favorem alterius in actuali collatione. V. Ex communi sensu DD. superioribus allegatorum, qui id Episcopo concedant, ubi adsunt requiritæ & conditiones superioribus enumeratæ: sed in nostro casu adfuerunt omnes conditiones præfatæ; causa enim fuit paupertas Parochi resignantis (de ceteris autem requisitis non apparet dubium) quamvis enim ille nec senex fuerit, nec infirmus, tamen, quia aliud Beneficium non est consecutus, & jus se alendi ex Beneficio jam aliquando obtinuerat, non video, quare hoc jus semel acquisitum se alendi ex illo Beneficio jam alteri cesso eidem auferatur, licet nec senex nec infirmus sit, præsertim cum Jura aliàs velint Clericos sustentari ex Beneficiis, & Petru-

cius aliunde competenter statui vivere nequeat. Accedit, quòd juxta probabilem etiam permutanti Beneficium, licet nec senex nec infirmus sit, pensio ab Episcopo statui possit pro æquandis fructibus. VI. Idem suadet argumentò negativò; quia sufficienter probari non potest, Episcopo potestatem non competuisse ad hanc Pensionem Petrucio reservandam, ut patebit ex responsis ad opposita. Siquidem

Ad I. Aio, illam rubricam vel intelligendam esse de pensione perpetua, qualis non est hæc nostræ, quia tantum est constituta ad vitam Petrucii, vel de pensione imposita absque iusta causa, vel de onere personali, v. g. cantandi in Choro, docendi Grammaticam &c. conformiter c. fin. de pactis, vel restringendam esse ad subjunctum textum, vicujus Episcopus prohibetur pensiones sibi ipsi reservare, aut secundum cc. ibidem allegata, ubi Episcopus prohibetur Beneficia secare & dividere extra casum defectus reddituum.

Ad II. Illa Bulla loquitur de pensione, quæ imponitur per Episcopum in favorem personæ non determinatæ, sed Episcopo bene visæ, & primùm determinandæ. Fagnan. in c. nisi essent de Præb. n. 37. Garcias p. 1. c. 5. n. 313. seqq. Rota apud Clericatum n. 31. 36. ergo, si Pensionarii persona nominetur ab Episcopo, impositio pensionis non est species Simonie confidentialis Ad Confirmationem adjectam dico, S. Congregationem loqui de casu, quo Pa-

ro-

rochia vacavit per resignationem in manibus Papæ. quo casu utique cessat potestas Episcopi, cum Papa jam apposuerit manum.

Ad III. tene, Episcopum posse, quando Beneficium vacat; nec enim probari potest necessitas consensûs Rectoris; imò hoc ipso, quòd Beneficium vacare debeat, dum imponitur pensio, & simul longè communior sententia DD. concedat Episcopo potestatem imponendi, potiùs probatur oppositum, quòd Rector, qui consentiat, dari non debeat. Uteriùs tene, Episcopum posse in actu collationis imponere, & quidem vel proprio motu, ac nemine instante, ut si pensionem reservet Clerico pauperi, aut bene merito, quo casu procul abest pactum & conventio; vel ad instantiam, propositionem, preces de imponenda pensione Resignatario in favorem Resignantis, adeoque prævio tractatu; quia iste tractatus non est pactio præcisa, inducens obligationem, sed tantùm est dispositio, declaratio, & intentio proposita, & relicta arbitrio Episcopi, à quo denique initium valoris accipit, & oritur pensio. Qua ratione non committitur

ulla Simonia Juris etiam Ecclesiastici.

Ad IV. Innocentius (si tamen ejus Constitutio sit debite apud nos promulgata, aut recepta, de quo valde dubito) circa finem addit, *sine causa*; ergo cum justa causa adhuc onerata pensione possunt Ecclesia Parochiales.

Ad V. *dist. Min.* hoc est prohibitum in *c. 21. de Præb.* ut fiat per iudices delegatos, etiam Papæ, de quibus ibi est sermo. *c. Min. per Ordinarios, & Episcopos*, de quibus ibi sermo non est. *N. Min.* De Delegatis specialis ratio, ne scilicet præiudicet Ordinariis. In *c. 8. de translat.* agit de pensione, sed de tractatione super remissione decimarum, quod utique excedit potestatem Episcopi.

Ad auctoritatem DD. qui citant pro Parte adversa, nôsse te velim, longè plures stare pro nostra sententia, ac insuper illos, qui adversari videntur, intelligi posse, ac plerùmque debere vel de pensionibus perpetuis vel ex alio capite, v. g. ob defectum ipsarum causa illicitis. Clericatus n. 39.

## QUÆSTIO II.

*An Episcopus licitè ac validè concesserit Cleandro, ut redimeret pensiones futuras anticipata solutione per numeratos 800 Ducatos simul & semel facta?*

**N**on parùm controversa est hæc inter Auctores quæstio; nam Clericalem pensionem vendi à Pensionario, & redimi ab obligato ad illam

Beneficiato certa quantitate anticipato soluta absque auctoritate Pontificis posse negant Navar. Rebuff. Lopez. Corduba, Victoria, Paris. de Resign. l. 6. q. 2. n. 123. Achill. de Graffis de Resign. decis. 6. Tondut de Pensionibus c. 57. à n. 2. & seqq. Card. de Luca de Pensionibus. dis. 5. n. 3. Et in hunc ferè modum discurrunt. Pensio clericalis est jus spirituale, vel saltem spirituali annexum: sed hoc vendi & redimi absque auctoritate Pontificis, anationem praviè tollentis, non potest, quia id foret Simoniacum, ut plerique omnes agnoscunt cum S. Thoma 2. 2. q. 100. a. 1. ad 6. ergo. Ma. prob. I. quia Pensio Clericalis, seu, ut etiam vocatur, spiritualis, adheret personæ spirituali seu Clerico, cui reservatur. II. quia talis Clericus pensionarius ex dispositione S. Pii V. obligatur ad recitandum Officium Divinum: ergo pensio respicit officium spirituale, eique annexum est. III. Pensio est jus percipiendi redditus aliquos ex Beneficio alieno: ergo connequitur cum Beneficio, quod est jus spirituale. IV. Resignanti Beneficium reservata pensio datur propter ministerium sacrum, quod ante resignationem præstitit: ergo est annexa ministerio spirituali; non enim videtur aliquod jus magis esse spirituale, si respicit ministerium sacrum futurum, quam si præteritum.

Confirmatur I. Jus Patronatus non potest vendi: ergo multò minùs pensio Clericalis; quia hæc est aliquid magis spirituale, quia tantum Clericis.

ricis competit, quàm illud, quod etiam Laicis, imò & foeminis competere potest.

Confirmatur II. Quamvis Decimæ, prout sunt fructus, vendi possint, tamen jus decimandi venditionem non admittit; quia hoc jus respicit officium spirituale: ergo etiam, licet pensionis fructus sint vendibiles, non tamen ipsa pensio, tanquam jus ad fructus, quod habet Pensionarius in Beneficio Ecclesiastico.

Confirmatur III. Pensio, quæ reservatur permutanti suum Beneficium pinguius cum alio tenuiore ad coequandos vel compensandos fructus, statui non potest sine auctoritate Pontificis, ut nos ipsi docuimus ad Tit. de Res. permut. ergo nec alia pensio, quæ reservatur liberè resignanti, vel lite cedenti, vel Clerico pauperi &c.

Confirmatur IV. ex Rotæ decis. 454. p. 1. n. 7. & coram Priolo decis. 265. n. 12. ubi dicitur, quòd concurrente pecunia Pensio extingui non possit absque Beneplacito Apostolico. Referuntur & aliæ ejusdem Rotæ decisiones.

Hic extremè oppositam acriter propugnant multi & graves Doctores cum Thoma Sanchez Consilior. Moral. l. 2. c. 3. dubio 46. Loterio de Re Beneficiar. l. 3. q. 29. n. 81. seqq. Clericato de Pension. discord. 16. n. 9. seqq. ubi plures alios allegat, & testatur, ipsum Tondut Adversarium n. 23. fateri, plurimos non infimæ notæ Doctores hanc sententiam veriore esse.

R r r



cessuiffe, Gibalino de *Simonia* q. 20. *consect. 11. per tot.* ubi allegat Cajet. Toletum, Lessium, Valentiam &c. quamvis omnes excipiant Pensionem, quæ in titulum Beneficii cum onere alicujus ministerii Ecclesiastici constituitur, ut si pensio constituatur Coadjuto Episcopi vel Parochi inhabilis, Capellani vel Chori-Vicariis, quia censetur esse verum Beneficium, ac veri Beneficii naturam fortiri vel imitari; cujusmodi pensio vocatur propriè *spiritualis*, illa autem, de qua nobis est sermo, quasi *mixta* vel *media*, quia constituitur Clericis quidem, at non propter officium spirituale, sed per modum eleemosynæ, ad sustentationem præcisè &c. Atque loquendo de hac fundant se isti DD. præcipuè in eo, quod subiectum pensionis nullum sit aliud, quam fructus Beneficii, prout sunt distincti & separati ab ipso Beneficio, sub qua ratione est res merè temporalis; nec enim datur pro ministerio spirituali, nec titulo spirituali, sed tantum ad sustentationem illius, in cujus favorem reservatur; quod indè etiam colligitur, quod non solvatur pensio in vel ex fructibus Beneficii, sed in pecunia.

Stabliunt præterea tum auctoritate Rotæ, quæ pensiones semper consideravit tanquam temporale quid, & separatam à titulo Beneficii, & non connexam cum titulo Beneficii, ut probat Clericatus *n. 11. discord. cit.* tum ex consuetudine ac praxi, vi cujus independentè à beneplacito Apostolico pensiones vendi & redimi an-

ticipatis solutionibus solere testantur idem Clericatus *n. 12.* Atque his Auctoribus meum quoque calculum appono.

Argumenta contraria etiam commode, nec admodum difficulter solvuntur. Ad I. Negatur *Ma. tit.* nempe de Pensione in titulum Beneficii constituta sermo foret. Ad probationem I. Clericatus, & ordo sacre solummodo concomitantè se habet, & per accidens ad Pensionem, non ex natura rei connexus; cum etiam Laicis constituantur subinde pensiones. Ad II. Pariter per accidens est, quod S. Pius V. injunxerit recitationem Officii B. V. Pensionariis; & hæc concomitans tantum & accidentalis non verò intrinseca & inseparabilis datur connexio juris ad pensiones seu fructus annuos cum officio spirituali non propter hoc officium spirituale statuuntur & solvantur pensiones, cum utique jam fuerint ante S. Pium in usu, sed aliis de causis, v. g. ut properi Clerico suppeditetur subindivisa alimenta; si tali Pensionario, qui ratione Ordinum fors aliunde non obligatur ad dicendum Breviarium, jungantur certæ preces, æquæ panis sit annexio pensionum ad has preces intrinseca, ut indè jus ad pensiones sit spirituale, ac si Hospitalium v. g. impolinis, qui præter habitationem aliquos quotidie panes & cibum recipiant, jungantur certæ preces quotidianæ. Ad III. Quamvis pensio sit jus percipiendi aliquos fructus ex alieno Beneficio, tamen non propter officium spirituale

vel pro ministerio sacro; unde quamvis datur aliqua contiguitas vel adhesio pensionis ad Beneficium Ecclesiasticum, connexio tamen necessaria vel inseparabilis non datur; potest enim dari & remanere Beneficium pensione extincta, & possit remanere pensio Beneficium vel per unionem vel per suppressionem extincto. *Menoch. conf. 296. n. 33. & conf. 1115. n. 10.* Ad IV. Non datur propter ministerium factum præteritum, sed tanquam alimentum in futurum.

Ad *Confirm. I.* Negatur *Conf.* nam jus patronatus immediatè respicit Beneficia, cum sit jus præsentandi ad Beneficia: at verò pensio immediatè respicit fructus temporales, non Beneficium, aut titulum spirituale.

Ad *Confirm. II.* Iterùm negatur *Conf.* quia pensio est quidem jus ad fructus ex alieno Beneficio, non tamen ad alios, nisi temporales, in pecunia ordinariè consistentes, & ex titulo temporali: jus verò decimandi immediatè respicit & fundatur in titulo spiritali Beneficii Ecclesiastici.

Ad *Confirm. III.* In qua continetur argumentum ad hominem reliquis difficilior, negari potest *conseq.* & paritas; nam, si pensio statuatur pro cœquandis fructibus, qui in Beneficio pinguiore dimisso erant copiosiores, temporale datur pro spiritali; siquidem pensio, quæ immediatè respicit fructus temporales, & non solvitur propter titulum vel ministerium spirituale, uti dictum, est aliquid merè temporale; e contra fructus, pro

quorum compensatione decernitur pensio, non sunt objectum, quod datur pro pensione, utpote nondum existentes in dominio novi Beneficiarii, sed jus ad percipiendos fructus, quod titulo Beneficii inseparabiliter est annexum, adeoque spirituale vel spiritali annexum ceditur à dimittente Beneficium pinguius pro pensione, quæ est aliquid temporale, & sic Simonia non evitatur. E contra quando extra casum permutationis non pro compensatione fructuum, vel potius juris ad fructus, sed præcisè pro sustentatione aut in alimenta resignantis statuitur pensio (nempe fructus aliqui prioris Beneficii dimissi, vel jus ad hos) independentè à titulo vel ministerio sacro, nihil spirituale reperitur, per consequens sine Simonia talis pensio vendibilis est & redimibilis.

Ad *Confirm. IV.* Ajunt, illas duas Rotæ decisiones id solum incidenter dicere; vel ex erroneo supposito, quòd pensio sit aliquid spirituale, vel spiritali per se ac inseparabiliter annexum; quo casu verba Rotæ non sunt habenda pro decisionibus, uti revera tales non sunt, ut sæpius protestata est ipsa Rota, fatente ipso Card. de Luca Adversario *de Jurisdic. disc. 80. n. 11.* Aliæ decisiones non sunt ad rem, ut ostendit Clericatus *n. 14.* Cæterùm Rota nobis favet potius, dum pensiones, nisi sint constitutæ in titulum Beneficii, considerare solet ut aliquid temporale, prout supra ex Clericato notavimus, & recepta praxis declarat.

R r r 2

TITU-